



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 4. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

rum Apostolus ad Hebræos 7. dicens: *melioris testamenti sponsor factus est Christus.*

475. Id ipsum significat Isaias cap. 53. dicens: unde peccata nostra fuerunt peccata Christi moraliter, atque ipsi imputata non quidem quoad culpam, cum sanctitas Christi sit impossibilis cum culpa, sed tantum quoad debitum satisfaciendi, quod ex pacto accepit; quare voluntas Christi in voluntatibus nostris nequaquam fuit inclusa, ut ipse peccaret nobis peccantibus, cum hoc impossibile esset Christi sanctitati, quamquam voluntates nostræ inclusæ fuerint in Adamo, ut nos peccaremus ipso peccante; ideoque peccatum ipsius transfusum fuit in nos, non solum quoad debitum solvendi, & patiendi, sed etiam quoad culpam. Præterea Christus in Scripturis ideo peccata nostra vocat peccata sua, quia ut fidejussor fecit illa moraliter sua, quoad debitum solvendi; quo in sensu intelliguntur ea verba Psalm. *Deus, tu scis justitiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.* Ubi insipientiam, ex qua Adam comedit ex pomo vitæ, Christus vocat insipientiam suam, & delicta nostra vocat sua quoad debitum solvendi, ut optimè exponit Bellarm. in comment.

476. Eodem prorsus modo Psalm. 21. Christus dixit: *Deus meus! Deus meus! quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum;* quem locum explicans Augustinus: *quorum delictorum; cum de illo dictum sit, qui peccatum non fecit, quomodo dicit delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua debita fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.* De hac etiam promissione, & pacto, ut testatur Eximius Doctor disp. 4. sect. 5. intelligunt plures SS. Patres illud primi Psalm. *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem suam terminos terra.* Hæc enim loca Scripturæ vix, aut ne vix explicare poterunt illi moderni, qui negant pactum inter Christum, & Patrem, & quidem cum à Deo facta sit promissio puris hominibus remunerandi eorum opera, si in gratia Dei decedant, quid mirum! quod Christo facta sit promissio remunerandi sua opera? Ex quo facile intelligitur Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi ait, *bene operantibus usque in finem in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per JESUM Christum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à justo iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

477. Fit 2. Christum spontè, & liberè se constituisse ex vi illius pacti debitorem Deo ad satisfaciendum pro peccatis nostris, ac proinde liberè acceptasse, & iniisse pactum istud cum Patre. Ratio est, quia sicut Scriptura, & Patres summopere commendant charitatem Christi, quod,

cum esset innocens, voluit satisfacere Patri pro peccatis nostris, & liberè acceptaverit mortem; sic Isaias 53. *oblatus est, quia ipse voluit;* atque, si Christus ratione unionis ad hoc fuisset obligatus, aut ex titulo capitis, aut ex titulo charitatis, vel alio simili sibi non libero, non posset propter hoc esse commendanda charitas Christi, ejusque libertas: ergo &c. Difficultates, quæ hic suboriri poterant, commodius explicabuntur solutione argumentorum; de præcepto autem libertati Christi consentaneo agemus infra in peculiari Disputatione.

## SECTIO IV.

### Solvuntur Opposita.

Objicies 1. Contra primam assertionem: satisfactio Christi supponit remissionem partem debiti contracti per nostra peccata: ergo neque fuit superabundans, neque condigna satisfactio pro nostris peccatis. Probatur antec. per peccata primi Parentis contraximus debitum carenti Redemptore; eram enim digni, quos Deus absque ullo remedio in æternum relinquere, & poenâ damni per totam æternitatem posset punire, imò & etiam poenâ æternâ sensus propter peccata nostra personalia; atque Deus hanc partem debiti nobis liberaliter remisit concedendo nobis absque aliis præviis meritis Redemptorem; ergo &c. Respondeo nego antec. Ad Probationem dist. maj. contraximus debitum exclusionis nego: debitum indignitatis conc. maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia per peccatum solum contraximus debitum constitutum peccati, quo reddimur indigni, & Deus manet cum jure ad indignationem & punitionem, si non offeratur ipsi condigna satisfactio; hoc debitum indignitatis nequaquam excludit existentiam Redemptoris, quandoquidem peccati integrum manere totum istud debitum, quamvis Redemptor existat: licet non deum Christus, qui possit redimere, cum liber sit ad non redimendum, eò ipso peccator, quando diu remanet peccator, remanet adhuc cum tota illa indignitate per peccatum contracta; ac proinde remanet indignus Christo, ut Redemptore; unde debitum illud per peccatum contractum non est debitum exclusionis, sed indignitatis; cum verò Christus pro toto debito indignitatis abundanter satisfecerit, nobisque meruerit gratiam, ut ex peccatoribus redderemur iusti, & maneremus absque ista indignitate, exinde satisfecit quoque pro hac nostra indignitate, nullumque fuit debitum contractum à nobis per peccatum, pro quo Christus abundanter non satisfecit.

Objicies 2. Instando simul solutionem, & doctrinam nostrarum illationum: Christus semel productus non potuit non redimere nos neque fuit liber ad non redimendum; ergo

vi ipsius productionis, quam Christus mereri non potuit, remissa fuit liberaliter à Deo pars debiti indignitatis à nobis per peccatum contracti, ac proinde non satisfacit, nedum abundanter, verum neque adæquatè pro debito à nobis contracto per peccatum. Probatur antec. peccante toto Regno contra alium Regem, & non potente satisfacere Rex, ut caput Regni, etiam si esset innocens, tamen si posset, satisfacere obligaretur ex iustitia ad satisfaciendum, & ad se humiliandum pro salute Regni; atqui in Adamo peccaverat tota Respublica hominum, & non poterat satisfacere, Christus autem eò ipso, quòd sit productus, est ratione unionis hypostaticæ Princeps, & caput totius Reipublicæ humanæ, poteratque Deo satisfacere; ergo obligabatur ex iustitia ad satisfaciendum. Confirmatur: Christus eò ipso, quòd sit productus, est sanctissimus, & impotens transgredi leges charitatis; & in ea captivitate omnium hominum teneretur saltem homines redimere ex charitate; ergo &c.

480. Respondeo nego antec. ad prob. dist. maj. peccante Regno, Rex, ut caput Regni habens pro fine Regnum, & debens servire Regno, obligatur ex iustitia ad satisfaciendum pro Regno, conc. Rex, qui sit finis Regni, & cui Regnum debeat servire, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia Principes & Reges humani, habent pro fine suo Regnum, id est, suos subditos, & debent suis Regnis servire, adeoque obligantur ex iustitia ad serviendum Regnis, & ad moriendum etiam pro salute ipsorum; at Christus ratione unionis hypostaticæ ita est Rex, & caput hominum, ut non habeat pro fine homines, sed sit finis hominum; neque debeat servire hominibus, sed homines debeant ipsi servire, cum sit infinito excessu excellentior omnibus hominibus etiam simul sumptis, adeoque non tenebatur ad satisfaciendum, & moriendum pro peccatis hominum. Ad Confirmationem conc. maj. & nego min. quia lex charitatis non obligat ad dandum infinitum pro finito; ac proinde non obligaret Christum perfectionis infinitæ ad moriendum pro salute hominum, qui sunt finitæ perfectionis.

481. Explicatur exemplo: cum in Republica servus vilissimus peccat contra Regem, non tenetur Rex aut princeps satisfacere, & se humiliare Regi offenso propter excessum, qui esset in humilitatione Regis ad offensam vilissimi servi: cum autem major sit excellentia Christi superiorum genus humanum collectivè sumptum, quàm sit excellentia cujuslibet Regis supra vilissimum servum, peccatum generis humani nequaquam obligaret ad moriendum pro illo; unde manet omnino liber ad ineundum pactum, & se constituendum, vel non constituendum fidei iussorem nostrum. Hæc omnia clariùs apparebunt, quando agemus de Christo capite; licet enim humani Reges ita sint caput, ut sint etiam Reipublicæ membrum, pen-

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

deantque ab influxibus Reipublicæ eos alentis, & sustentantis; at Christus ita est caput, ut non sit membrum, neque recipiat influxum illum in ordine gratiæ à membris.

Objicies 3. Contra secundam assertionem: tam Deus displicet in peccato, quàm complaceat in merito Christi; ergo meritum Christi in actu primo ratione sui neque fuit superabundans neque æquale pro satisfactione etiam peccatorum. Probatur antec. non minùs demeretur omne malum, quàm mereatur omne bonum meritum Christi; ergo tam Deus displicet in peccato, quàm complaceat in meritis Christi. Confirmatur 1. Dolores debiti pro peccatis sunt acerbissimi, & æterni; ergo non fuerunt dolores Christi in actu primo æqualis satisfactio pro peccatis. Confirm. 2. Meritum Christi est à DEO, ut homine, peccatum verò est contra Deum, ut Deum; ergo magis displicet Deus in peccato, quàm complaceat in merito, & satisfactione Christi; ac proinde ista non fuit adæquata pro peccato. Confirm. 3. Tam displicet Deo destructio ipsius, quàm intendit peccatum, quàm placeat suum esse, quod dignificat Christi meritum; ergo &c.

Respondeo nego antec. ad probationem dist. antec. non minùs & eodem modo, nego; & diverso modo, omitto antec. & nego conseq. diversitas enim stat in eo, quòd demereri est per positivum demeritum se habere negativè, sive cum indignitate ad præmium; mereri verò per positivum meritum se habere ad præmium positivè; absque ex hac ratione non est tam malum peccatum, quàm sit bonum meritum Christi, quia negativè, sive indignè se habere non est tantum, quantum est se habere positivè; sic non tantum requiritur, ut quis fiat incapax, quantum, ut fiat capax sacerdotii; præterea pœna positiva, quam peccator promeretur, non est tantæ magnitudinis, quantæ est præmium, quod promeretur meritum Christi Domini, nec aliunde habet, unde peccatum æquari possit merito & satisfactioni Christi; qua de causa dixi in distinctione omitto antec. cumque meritum & satisfactio majoris dignitatis sint, quàm sit indignitas peccati, magis complaceat Deus in Christi merito & satisfactione, quàm displiceat in peccato.

Ad primam Confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia valor meritorius operum Christi non desumitur solum à dolore, sed principaliter à dignitate personæ, ut constat à num. 427. cum autem Deus magis complaceat in dignitate personæ Verbi, quàm displiceat in peccato, complacebit etiam magis in merito, & satisfactione Christi, quàm displiceat in peccatis. Ad secundam Confirmationem dist. antec. est à Deo, ut homine effectivè, ut à causa secunda, conc. quod melius est dicere; est ab humanitate dignificativè, nego antec. & conseq. quia dignificatio meriti, & satisfactionis Christi provenit à dignitate personæ, quæ revera est DEUS, ac proinde

Q. 9. 2

consti-

constituer dignitatem satisfactionis multo majorem, quam sit dignitas peccati. Ad tertiam Confirmationem nego antec. quia destructio, quam intendit peccatum, ad summum est affectivè tantum, non effectivè, cum Deus sit indestructibilis; & dignitas infinita satisfactionis non est solum affectivè sed in re talis, & quidem divina, quatenus à forma non divina haberi non potest ea condignificatio; cum autem magis placeat Deo sua ipsius divina dignitas, quam displiceat destructio purè affectiva suæ dignitatis, exinde placet multò magis Deo dignitas satisfactionis Christi, quam displiceat indignitas peccati.

485. Objicies 4. Nequit Christus unico actu reddere Deo condignas gratias pro omnibus beneficiis à Deo acceptis; ergo neque satisfacere pro omnibus peccatis contra DEUM commissis. Resp. 1. Omitto antec. & nego conseq. quia quilibet actus, quo Christus Deo gratias ageret, esset novum beneficium à Deo acceptum, pro quo deberetur nova gratiarum actio ab ipso beneficio distincta; at verò nulla Christi satisfactio esset injuria contra Deum, pro qua debeatur nova satisfactio. Respondeo 2. Cum Eximio Doctore, dist. antec. si Deus actum illum ordinet & acceptet secundum illius condignificationem pro actione gratiarum ad æqualitatem condignificationis, nego, si solum acceptet illum pro actione gratiarum relatè ad dona ab ipso distincta conc. antec. & nego conseq. ratio est, quia cum operationes Christi non possint obligare Deum independentè à pacto; si Deus nolit acceptare actum, quo Christus reddit gratias Deo, nisi pro beneficiis distinctis ab ipso actu ad æquales gratias in actu secundo reddendas, opus erit, ut per alium actum eas offerat pro beneficio in statu primo accepto; ut si Deus veller eas gratias accipere pro omnibus beneficiis, ac proinde etiam pro eo actu condignitatem, meritum illud Christi, ut esset pro omnibus illis beneficiis condigna gratiarum actio; sicut enim non repugnat cognitio reflexa, quæ se ipsam cognoscat, ita non repugnat actus, qui in gratiarum actionem se ipsum cum aliis offerat Deo.

486. Objicies 5. Contra tertiam assertionem. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 19. sic de Christo loquitur. Eum autem, qui tantum donum spontè dat Deo, sine retributione debere esse non judicabis; imò necesse esse video, ut Pater Filio retribuatur, alioquin aut injustus videatur, si noller, aut impotens, si non posset, cui consonat Paulus ad Hebræos 5. dicens Christum exaudiri esse pro sua reverentia, sed in istis testimoniis necessitas retributionis meritorum Christi, revocatur ad dignitatem filii naturalis, & magnitudinem meritorum, non autem ad pactum Deo liberum; ergo merita Christi independentè à tali pacto sunt merita strictissima obligantia Deum ad retributionem. Confirmatur 1. dissonum

est rationi Deum non acceptare opera filii sui naturalis, ex laboribus, & sua merce aquifita, & quòd illa absque præmio relinquatur; atqui Deus nihil efficere potest contra rationem; ergo nequit non acceptare opera Christi semel elicita. Confirm. 2. Deus nequit relinquere sine præmio merita omnium justorum; etenim, ut rectus, & supremus Governator, nequit res ita disponere, ut ratione suæ dispositionis vitia triumpharent, & torpescerent virtutes, quòd fieret, si relinqueret impæmiata justorum merita, sed quòdlibet Christi meritum majoris æstimationis est, quam meritorum omnium reliquorum justorum hominum; ergo &c.

Respondeo conc. maj. & dist. min. revocatur ad dignitatem filii nudè sumptam, nego ad dignitatem filii constituti in fidei justorem nostrum conc. min. & nego conseq. quia Deus nemine potest obligari ad præmiandum, nisi à se ipso ratione pacti inclusi, saltem in voluntate divina constituyente Christum fidei justorem nostrum, cum ea omnia opera Christi sint Deo debita ex pluribus alijs titulis, ex quibus ea poterat sibi accipere, ut dicemus disput. sequenti, ac proinde in hoc sensu exponendus est Anselmus, ut notantur Exim. Doctor, Bernal, pluresque alij; unde merita Christi Domini non idèò sunt digniora, quia independentè à pacto obligant DEUM ad præmiandum, sed quia ratione sui habent condignitatem in actu primo ad quodcumque præmium, & ad satisfaciendum pro quocumque delicto, quo respexit Conc. Alexandrinum in Epistola ad Nestorium, quæ est 10. inter Epistolas Cyrilli, & recepta atque approbata sunt in Concilio Ephesino, Chalcedonensi, & Constantinopolitano 5. ut notat Surius in titulo illius, in qua non parum post medium de Christo dicitur; *qua igitur egeret oblatione nullo suo existente facinore? pro quo si esset talis admittendum convenienter offerre; quamquam si sequantur translationem operum Cyrilli, aliter proponitur testimonium, per hæc nempe Verba. Quæ igitur oblatione opus habuissent, cum nullum in eo sit peccatum, pro quo fieri possent oblatio. Videatur Valquez Disput. 5. cap. 2.*

Ad primam Confirmationem nego maj. quia Deus plurimis alijs titulis sibi debitis posset acceptare opera Christi, quin acceptaret illa tanquam satisfactionem pro nostris peccatis, nec Christus illa offerret, nisi sub conditione, nempe casu quo Deus illa veller acceptare; nam si Deus noller, Christus desisteret statim à postulato, ad eum modum, quo orabat in horto Matth. 26. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Siquidem voluntas humana Christi debet se conformare voluntati divinæ Patris, & non e contra. Ad secundam Confirmationem, nego maj. quia licet dedeceret Deum vitia impunita relinquere, hoc

hoc recte gubernationi obstaret, eaque de causa triumpharent vitia, non tamen ipsum dederet obsequia fervorem non praemiare, sed ea potius exigere titulo servitutis; sic Dominus recte gubernat servos puniendo eorum delicta, quamquam merita non praemiat, sed exigit titulo servitutis; quin potius plurimis modis Deus facere potest, ut vitia non triumpharent, quamvis non puniret, neque in hoc excogitabilis est paritas ab homine ad Deum per limitationem hominis, & infinitam potentiam Dei.

489. Ex his perspicue apparet non posse ab illis Theologis recte negari pactum initum inter Filium missum, & Patrem mittentem; cum enim unicum Christum meritum, utpote simpliciter infinitum, imò & unica gutta sanguinis propter unionem ad Verbum, ut ait Clem. VI. num. 384. satis esset ad redemptionem totius generis humani, non est assignabilis alia ratio Sacris Scripturis, & Conciliis, & PP. consentanea; cum Christus non redemerit nos in actu secundo ante mortem, sed intercedente morte, ut ait Paulus ad Rom. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus*; nisi quia, ut ea merita obligarent Deum, opus erat juxta pactum, ut morte ipsius Christi confirmata essent; tale quidem pactum satis indicatum est Ilsa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*; quod, cum Christus, ut fidei iussor noster acceptaverit, & impleverit juxta illud Eccl. 19. *Gratiam fidei iussoris non obliviscaris, dedit enim pro te animam suam* subjungit textus: *Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium dividet spolia*, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam. Pactum enim illud exigebat, ut Christus omnia sua merita nobis

applicaret novo testamento, rato, & confirmato; nam ita factus est fidei iussor noster, ut ait Paulus ad Hebræos 7. *melioris testamenti sponsor factus est Christus*. Cùmque ante mortem testatoris nondum sit testamentum confirmatum, sed revocabile, & per mortem testatoris confirmetur, ut dicitur Lege prima digestis de testamentis. *Testamentum est voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult*. Exinde ad redemptionem nostram in actu secundo vi pacti requirebatur, ut Christi mors intercederet. Neque de hoc videtur dubitare, nisi qui Apostolum non legerit ad Hebræos 9. ubi de Christo ait. *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem eorum pravaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis, ubi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, qui dum vivit, qui testatus est; quae Verba Verf. 15. ita exponit Cornelius. Idque ita exigente, & flagitante Patris iustitia, quasi Pater Filio dixerit: Si vis me hominibus parcere o Filii, qui tam graviter in me peccarunt, necesse est, ut pro eis moriaris; sanguinemque tuum profundas, quia iustitia mea, legibus, & decreto meo aeterno de puniendo peccato satisfacere volo; Filius vero id ipsum accepit, & summo jure ad terminum usque cuncta nostra debita Patri persolvit, fecitque, ut sine metu, & nudo (quod ajunt) capite coram Deo, & Angelis ambularem, atque animos, spesque nostras in Deum erigeremus; omitto plura, quia haec satis superque sunt.*

\* \*

## DISPUTATIO XII.

### DE SATISFACTIONE EX COMMUTATIVA JUSTITIA, ET DE ESSENTIA REDEMPTIONIS.

490. Conditiones ad justitiam commutativam requisitas dedimus in iractatu de justitia, & jure à num. 520. & juxta aliquas ex illis decidenda est praesens controversia. Unde non est quaestio de justitia generali, quae convenit unicuique virtuti, prout implet, & adaequat obligationem requisitam ad praeccepti adimplerionem, atque ad impediendam transgressionem, quo in sensu quaecunque virtus, & quaecunque rectitudo dicitur justitia. Sic Marth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*; id est exercere omnem actum virtutis, quo in sensu gratia habitualis, quia est radicalis rectitudo, & forma justificationis, vocatur justitia à Concilio Tridentino sels. 6. cap. 7. *Unica formalis causa est justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donari renovamur Spiritu nostrae mentis, & non modo reputamur, sed verè justii nominamur*.

mur, & sumus justitiam in nobis recipientes; Sumpta etenim justitia in hoc sensu frequenter in Conciliis, & Scripturis, certum est Christi satisfactionem fuisse ex justitia, cum fuerit alicujus, vel plurium virtutum actus, sancta itidem, & perfecta, quamobrem, quaestio praesens non est de hujusmodi justitia, sed de justitia commutativa. Omnis ergo conditionibus, quae ad resolutionem praesentem non conducunt, dabimus eas, quae ad istam controversiam decidendam maximè necessariae sunt.

#### SECTIO I.

##### Proponitur, & resolvitur Controversia.

Suppono 1. Ex dictis num. 179. de justitia 491. & jure jus proprietatis ita definiti: *Legitima*

Q 9 3